

universis christifidelibus praesentes litteras inspecturis, salutem in Domino sempiternam. Dudum, postquam felicis recordationis Leo Papa decimus ab hac luce sicut Domino placuit migraverat et Reverendissimi in Christo patres et Domini sacrosanctae Romanae Ecclesiae episcopi, presbyteri, et diaconi Cardinales tunc in alma Urbe residentes, provide considerantes quot et quantus esset plena periculis Ecclesiae Romanae prolixa vacatio, et desiderantes ipsis periculis obviare ac prospero et felici regimini eiusdem Ecclesiae ut tenebantur subvenire, expectatis absentibus cardinalibus diebus a iure praedictis, convenientes in unum Romae in palatio apostolico apud Sanctum Petrum in conclavi reclusi, invocata Divina Misericordia, et missa Spiritus Sancti singulis diebus in eodem conclavi et extra illud, ex ordinatione eorundem Reverendissimorum dominorum Cardinalium celebrata Nos in Romanum Pontificem et Universalis Ecclesiae pastorem et unanimiter canonice elegerant, praefati Reverendissimi domini Cardinales, per eorum litteras trium Reverendissimorum dominorum Cardinalium in ordine priorum sigillis munitas, et per dilectum nostrum Antonium de Studillo Apostolicae Sedis prothonotarium, ipsorum dominorum Cardinalium nuntium ad nos delatas, dictam electionem nobis in Hispaniarum regnis et oppido de Vitoria residentibus et offitium Gubernatoris generalis pro invictissimo Karolo Romanorum et Hispaniarum rege Catholico gerentibus significarunt: asserentes per easdem litteras quod mox ad nos tres eiusdem Romanae Ecclesiae Cardinales Legatos missuri essent ad insinuandam nobis electionem ipsam, nostramque acceptationem et consensum recipiendum; Nosque instantanter rogabant, ut pro celeriori huius rei tantae et tam importantis expeditione, et ut Italiae totius urbis Romae et Curiae romanae ac ecclesiastici status tranquillitati et quieti succurreretur, et multae sanguinis effusioni propter nostram longam absentiam imminenti obviaretur, Nos quamecitius et comodus valeremus, Italiae apropinquaremus, ut nobis dicti Legati quam celerrime occurrerent prout haec et alia in eisdem litteris plenius continentur. Quibus litteris per nos lectis et intellectis, vehemens timor nos invasit de immensitate oneris imbecillibus humeris nostris impositi; quod certe repudiassemus nisi ex altera parte timor irreparabilis periculi imminens universalis Ecclesiae, animum ad serviendum Deo in onere pastoralis officii universalis Ecclesiae, vi quadam et violentia nos impulsisset. Unde, confisi in misericordia Omnipotentis Dei, qui sperantes in eo

non derelinquit, qui oculos nostrae mentis illuminabit et gressus nostros in via iustitiae directurus sit, animum a recusatione continuimus. Et quia propositum ac animus nobis semper fuit a consiliis eorundem dominorum Cardinalium, praesertim in his quae nobis per easdem litteras significarunt, non discedere volumus pro tunc prout eisdem dominis Cardinalibus scripsimus a publica acceptatione pontificatus abstinere, donec illam in praesentia eorundem dominorum Legatorum faceremus, quamquam et mente et verbo licet non palam consensum huiusmodi, receptis dictis litteris, illico adhibuerimus. Verum, quoniam ex multorum relatione qui ad nos ex Urbe ante paucos dies venerunt informati sumus, quod praefati Cardinales Legati adhuc in eadem urbe persistebant, et quod non erat spes eosdem Legatos iter ad nos veniendi in brevi suscepturos esse, et ob defectum publicae acceptationis non possemus apud Principes pontificali auctoritate uti ad conciliandam pacem; nec possemus de iustitia providere, praesertim in causis quae propter periculum moram non patiuntur, uti in matrimonialibus et aliis; nec sine scandalo populi possemus in longum deferre, quodque absurdum multum iudicaretur, quod tanto tempore Ecclesiam pastore viduatam relinqueremus, ac quod plures ex hoc conciperent nos pontificatum recusaturos esse, unde licentius terras Ecclesiae invaderent et alia facinora committerent; cupientes dictis periculis et aliis obviare incomodis et religioni christianae consulere, ipsosque Legatos a labore tam gravis et periculosi itineris relevare, visum fuit nobis pernecessarium esse salutem Reipublicae Christianae et bono regimini universalis Ecclesiae et Romanae curiae dictam electionem non spectatis praefatis dominis Legatis in publico, praesentibus testibus ac Notariis infrascriptis ad hoc specialiter vocatis et rogatis, acceptare, prout in nomine Sanctae et individuae Trinitatis Patris et Filii et Spiritus Sancti electionem ipsam acceptavimus, illamque ratham et gratam habuimus, acceptamusque ac ratam et gratam habemus per praesentes, firmam spem habentes in Illo qui pro humani generis salvatione curam beato Petro coelestis regni clavifero Apostolorum Principi et successoribus suis commisit, nobis licet immeritis, animi virtutem et spirituales vires largiri dignabitur ut populum christianum sic redemptum a conatibus perversorum praeservare et luporum rabie defendere, ac errantes oves et diabolica fraude deceptas boni pastoris exemplo ad ovile dominicum reducere et dictae Ecclesiae unitatem servare valeamus. Rogamus itaque enixe eosdem reverendissimos domi-